Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1435
Quelle:
Copyright:

frascriptorum transmittimus, iuxta quem verbum crucis contra Wiklefistas predicetis super quibus nos uos deputamus. Sequuntur igitur variae Peccatorum veniae iis indulgendae, qui ad Sermones audiendos confluunt, qui Crucem vel ipsi suscipiunt, vel aliqua ratione conferunt, ut ab aliis suscipiatur, Modus cruce signandi cum Precibus dicendis, Facultates Praedicatorum a noxis absolvendi cum formulis &c. paene ut in *Instructionibus Henrici de Beaufort* Card. *Anglici*, quas in *Append. ad Fascic. Rer. expetend.* &c. edidit *Edw. Brownius Lond.* 1690. p. 626. f. Datae sunt nostrae *Colonie Anno domini Millesimo Quadringentesimo vicesimo primo Indictione quartadecima pontificatus sanctissimi in christo patris et domini domini Martini diuina prouidencia pape quinti Anno quarto. Die uero Jouis quinto mensis Junij.* Delegationis hujus *Nicolao* nostro certe honorificae nulla apud *Oudinum*, *Fabricium*, *Kropfium* in *Bibl. Mellic.* et in *Scriptt. Univ. Vien.* mentio. Quo vero omnes hi conatus reciderint, satis docet temporum Historia.

III. *fol.* 35. *Historia de sancta cruce quomodo fuit inventa.* Hanc quoque in usum Praedicatorum Crucis congestam fuisse et quae antecessere, et quae sequentur, suadent. Congesta vero est ex *Evangelio Nicodemi*, *Legenda Silvestri Papae*, *Historia tripartita*, *Gregorio Turon. Johanne Beleth* Scriptore Sec. XII. et praecipue e fabulatore Graeco, cujus *Scripta de Inventione Crucis Dominicae* jam Sec. V. *Gelasius* Papa inter apocrypha retulit, et *Bollandiani* T. I. *Maji* ad diem 4. p. 445. latine edidere. Ejus initium: *Constantinus fuit vir Romanus nobilis quidem genere et potens sed moribus et prudentia longe nobilior qui Claudij imperatoris nepos fuit ex filia* &c. Desinit in fabellam de *Notario*, qui, quod Christum coram Throno Satanae negare noluisset, ab illius Icone benigne respectus dicitur.

IV. *fol.* 43. p. 2. *Sermones* III. ad Cruce Signatos, quorum priores duo in illud *Apoc.* 7. *Uidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum dei viui*, i. e. Crucem, tertius vero perperam inscriptus: *Epistola de invencione S. Crucis*, in illud *Galat.* 5. *Confido de uobis in domino ihesu.* Atque hic mihi suboritur suspicio, *Sermones* hos et *Historiam* praecedentem fortasse conficere *Caput* VIII. Tractatus N. I. indicati, quod ibi deesse adnotavi.

V. *fol.* 57. *Sermones* LXX. partim in *Epistolas* et *Evangelia Dominicarum*, partim in festos *SS.* dies, parum servato temporis ordine. Primus est *Dominica sexta* (infra Octav. Ascens.) *post Pascha* in *Epistolam I. Pet.* 4. *Estote prudentes* &c. et incipit: *Legitur Actuum I. Quod apostoli post domini ascensionem erant perseverantes* &c. Ultimus *Dominica quarta post pascha*, hujus initii: